

IOANNES DE MONTE

Regio de Cometa.

DIBVS Ianuariis, anno Domini 1475. visus est Cometa sub Libra, cū stellis Virginis: cuius caput tardi motus erat, donec vicinaret spicæ, nunc velocitabat suus incessus per crura Bootis, versus eius sinistram, à qua discedendo die vno naturali, portionem circuli magni 40 graduū descripsit. Vbi cū esset in medio Cancri, maximè distabat ab orbe signorum 77 gradibus, & tunc inter duos polos zodiaci & æquinoctialis, ibat vsq; ad interpedes Cephei. Deinde per pectus Cassiopeæ, super Andromedæ ventrem, post gradiendo per longitudinem piscis septentrionalis, vbi iterum valde remittebatur motus eius, appropinquabat zodiaco, transiens ipsum iuxta medium Arietis: donec cum stellis Ceti occasus Eliacus nobis ipsum occultaret, in vltimis diebus Februarij. Hoc motu suo proprio circuli magni portionem descripsit. quo in septentrionem, & cum hoc contra successionem signorum ferebatur à Libra in Arietem in fine & principio proportionabiliter tardè: in medio verò eius apparitionis velocissimè mouebatur, vno die ferè per quatuor signa, à fine Virginis, vsque ad principium Geminorum: & secundum naturam sibi adscribendam, motum continuasse debebat, donec iterum reuersus in Libram apparuisset: & forsan taliter motus fuit, quoniam in eius occasu magnæ adhuc erat quãtitatis. Tamen propter figuram eius ad Solem, & maximè in plagis septentrionalibus, non nisi parum in fine suæ apparitionis videri poterat versus meridiem in diebus Aprilis, si motu suo regularitatem seruasset.

De motu caudæ.

Cauda verò eius minus mobilis, continuè respiciendo stellas Geminorum, eas circuibat, nunquam ab eis per totum ap-